

eam sine actu perfectæ charitatis convenienter recitari non posse, v. g., a peccatore qui gratiam suæ conversionis impetrare desiderat.

Communius tenetur hoc præceptum singulis diebus dominicis et festivis cultui divino consecratis obligare; non tamen sub peccato mortali, nisi omissio longa esset, v. g., per spatium unius mensis. Vide *S. Ligorium*, l. 2, n. 8.

5° Quoniam tamen in hoc puncto nihil ut certum defini potest, hortandi sunt fideles ut actus fidei, spei et præcipue charitatis sæpissime eliciant, sive orando, sive meditando, sive de Deo cogitando aut loquendo. Ut eos ad utilissimam hanc praxim efficacius induceret, *Benedictus XIV*, per rescriptum 11 decembris 1754, septem annos et totidem quadragesimas indulgentiarum animabus in purgatorio detentis applicabilium concessit, toties lucrandarum quoties actus ejusmodi virtutum recitarentur, in qualicumque formula, modo propria earum motiva exprimerentur, et indulgentiam plenariam in una die mensis lucrandam ab eo qui singulis diebus hujus mensis prædictos recitaret actus, sub solitis conditionibus peccata confitendi, sacram Eucharistiam suscipiendi et precandi.

6° Necessè est igitur, ex verbis rescripti *Bened. XIV*, et ex decreto S. Congr. Indulg, diei 28 januarii 1756, ad lucrandas indulgentias, actus prædictarum virtutum vocibus exprimere; ad satisfaciendum vero divino præcepto actus interni, positivi et sinceri sufficiunt. Qui ergo in gratia sanctificante sunt constituti et Deo ferventi animo serviunt, actus fidei, spei et charitatis sæpissime, etiam non advertentes, eliciunt, ac proinde in periculo præceptum transgrediendi non versantur. Qui, e contra, tepidam ducunt vitam, peccati omissionis in eo genere sæpe fiunt rei. *A fortiori* qui peccato mortali remanent inquinati, præfato charitatis præcepto satisfacere nequeunt. Non tamen obligantur hanc omissionem explicitè declarare, quia confessarius eam ex declaratione aliorum peccatorum facile intelligit.

7° Constat, ex dictis in Tractatu *de Gratia*, cap. 3, art. 1, § 3, neminem, seclusa speciali revelatione, certo judicare posse se habere gratiam sanctificantem, seu charitatem habitualement; quædam tamen sunt signa quibus aliquis rationabiliter præsumere potest se gratia sanctificante donari, ac consequenter Dei amicum esse.

§ II. — De charitate erga proximum.

Agemus 1° de dilectione proximi in genere; 2° de amore inimicorum; 3° de ordine in charitate servando; 4° de eleemosyna, et 5° de correctione fraterna.

Punctum primum. *De dilectione proximi in genere.*

Nonnulli laxiores casuistæ obligationem diligendi proximum per falsas interpretationes labefactare conati sunt, dicentes nos illum actu interno et formali diligere non teneri, et satis esse ut externa ipsi exhibeamus beneficia, sine ulla interiori benevolentia.

PROPOSITIO.

Proximum interiori benevolentie actu diligere tenemur.

Prob. Scriptura sacra, auctoritate Innocentii XI ac cleri Gallicani, et ratione.

1° *Scriptura sacra.* Christus enim, Matth. xxii, 39, ait: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; et Joan. xv, 12: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; B. Joannes, I Ep. iv, 21: *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Multa alia citari possent. Porro hæc verba interiorum affectum evidentè significant. Ergo 1°.

2° *Auctoritate Innocentii XI*, qui, anno 1679, sequentes damnavit propositiones. « Non tenemur proximum » diligere actu interno et formali. Præcepto proximum » diligendi satisfacere possumus per solos actus exter-

» nos. » Easdem propositiones clerus Gallicanus damnavit in comitiis anni 1700. Ergo.

3^o *Ratione*. Qui unam personam perfecte diligit, eo ipso amat, amore proportionato personas ad eam attinentes, nempe uxorem, filios, famulos et generatim omnes qui in societate ejus sunt vel fieri possunt: porro omnes creaturæ rationales ad Deum pertinent, in societate ejus sunt aut fieri debent, exceptis dæmonibus et damnatis: ergo.

Hinc patet quid nomine proximi intelligendum sit; videlicet ii omnes intelliguntur qui æternæ beatitudinis sunt capaces vel ea jam fruuntur, ut Angeli, Beati in cælo regnantes, animæ in purgatorio, et maxime homines viatores sive justis, sive peccatores, sive concives, sive extranei; quod manifeste expressit Christus, docens, Luc. x, 37, agendum esse erga extraneos sicut Samaritanus erga hominem qui in latrones inciderat. Unde *S. Aug.*, Epist. 155, n. 14: « Proximus sane, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, » in qua socii sunt homines. »

Ut dilectio proximi sit legitima, tres habere debet conditiones, ex *S. Th.* 2 2, q. 44, art. 7; nimirum debet esse sancta, justa et vera. 1^o *Sancta*, id est, ut nos et proximum propter Deum, in ordine ad beatitudinem cœlestem diligamus: « Ille veraciter amat amicum, inquit *S. Aug.*, Serm. 346, qui Deum amat in amico, » aut quia est in illo, aut ut sit in illo. » 2^o *Justa*, scilicet ut proximo non condescendamus in aliquo malo, sed tantum in bonis; sicut inclinationibus nostris consentire non debemus, nisi in bonis. 3^o *Vera*, hoc est, ut proximum non diligamus propter utilitatem nostram vel delectationem, sed ut bonum ei velimus, sicut bonum nobismetipsis volumus. « Nam, ut ait *S. Thom.* in loco citato, » cum quis diligit proximum propter suam utilitatem » vel delectationem, non vere diligit proximum, sed » seipsum. »

Hinc patet quam multi proximum debito modo non diligant, ut præcepto charitatis satisfaciant.

Non tamen necesse est ut singulos homines singulari affectu prosequamur, nisi aliqua speciali ratione nobis sint conjuncti, ut parentes, superiores, benefactores; sed sufficit actus generalis dilectionis quo beatitudinem cœlestem et bona ad eam plus minusve directe conducentia omnibus ad illam vocatis exoptemus, et quantum in nobis est procurare intendamus. *Non diligamus enim verbo, neque lingua, sed opere et veritate*, I Joan. iii, 18.

Si ergo in Scriptura et apud Patres quandoque mala peccatoribus exoptentur, vel exoptari videantur, id intelligendum est vel, 1^o de modo prophetico, ita ut mala non exoptentur, sed evenienda prædicentur, quod agnovit *S. Aug.* contra Faustum, l. 16, cap. 22: « Maledicta, » ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis; » vel 2^o de exoptatione malorum temporalium, ut improbi eis pressi convertantur; vel 3^o de legitima vindicta, non peccatoris, sed criminum in honorem æternæ justitiæ; vel 4^o de imprecationibus contra regnum peccati, et non contra homines peccatores; quo sensu *S. Aug.*, de Serm. Domini in monte, l. 1, cap. 22, n. 77, dixit: « Quis audeat » affirmare, cum illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum contra ipsos homines, an contra regnum » peccati petierint? »

Quomodo autem et quando hoc præceptum amoris supernaturalis proximi obliget ad actus internos explicitos, non omnino constat. Certum est illud obligare saltem quoties necesse est ad præcavendum odium vel offensionem proximi, aut ad implendum opus misericordiæ supernaturalis, vel etiam naturalis, quæ solo amore naturali difficile exerceri posset. Si ultra urgeat, sane impletur ab eo qui Orationem Dominicam attente recitat. Exigit etiam ut semper simus parati ad opera charitatis exercenda, juxta hæc B. Petri, I Epist. vi, 8, verba: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*; et jam citati B. Joannis: *Non diligamus verbo, etc.*

Quatenus autem est negativum, præceptum istud pro-

hibet quoscumque actus etiam internos amoris benevolentiae recte et secundum Deum intellecto oppositos.

Duplex est generalis regula duplicis hujus praecepti, a Scriptura tradita et ratione nota; scilicet: 1° *Omnia quaecumque vultis (rationabiliter) ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, Matth. VII, 12: 2° *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, Tob. IV, 16.

Punctum secundum. — *De dilectione inimicorum.*

1° Certum est gravem existere obligationem inimicos, id est eos qui nos vel nostros oderunt, aut aliqua injuria affecerunt, affectu interno diligendi; nam 1° beatitudinis aeternae sunt capaces; comprehenduntur igitur sub nomine proximi. 2° Christus, Matth. V, 43, dixit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*; in cap. XVIII, 35, declarat Patrem caelestem non dimissurum esse iis qui fratribus non remiserint, atque voluit ut in Oratione Dominica diceremus: *Pater noster... dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quibus verbis grave contineri praeceptum unanimis est Patrum et doctorum sententia. Ergo.

2° Inimicis ergo exhibere debemus communia dilectionis signa quae aliis ejusdem status, conditionis et qualitatis praestari solent, quia sunt proximi nostri; et aliunde haec negare propter inimicitiam, esset actus vindictae et manifestatio odii. Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus et eleemosynis eum includere, communia officia vel obsequia ei praestare, etc., idque sub gravi vel sub levi, prout, attenda personarum, locorum aliarumque circumstantiarum conditione, contemptus reputatur gravis vel levis.

3° Excepiendi sunt casus in quibus charitas vel justitia aliud prudenter suadet, vel rationabilis causa excusat: 1° enim charitas aliquando suadet ut communia dilectio-

nis signa denegentur inimico si nempe sperandi sit locus, ut ex hac denegatione contristatus, emendetur, vel timendi ne ex his signis deterior fiat, vel ne occasionem inde sumat jurgia iterandi, novos contemptus manifestandi, etc. 2° Justitia aliquando suadet ut superiores communia charitatis signa pro tempore denegent inferioribus a quibus graviter fuerunt offensi, ut eos juste puniendo, ad resipiscentiam, emendationem et aequiorem in posterum agendi rationem adducant. Sic quotidie videmus parentes e domibus suis ejicere, ad aspectum, colloquium, convivium aut consortium admittere nolle filium qui, contra eorum voluntatem, matrimonium indignum contraxit, vel aliquam exercuit actionem quae familiam gravi dedecore afficit: qui autem sic agunt, non ex odio vel animo vindictae, sed ob delinquentis correctionem, vel ob familiae honorem, vel ad procurandam majorem aliorum cautelam, non peccant, nec a sacramentis arceri debent, modo absit scandalum, et reconciliationem in perpetuum negare non intendant, sed tantum eam differre quoadusque ad reorum emendationem et aliorum utilitatem expedire videbitur. Ita *Layman, Sporer, Ferraris* et alii. 3° Rationabilis causa excusare potest; v. g., pater aut mater aspectum occisoris filii vitare possunt; non ex odio, sed ne illius praesentia nimium excitet horrorem: si quis consortium et quamlibet familiaritatem cum propriae uxoris vel filiae aut sororis stupratore fugiat, ne alias videatur infamiam talis actionis non satis detestari, excusatur; item si moraliter certus sit inimicum non esse resalutaturum, responsurum, etc., eum salutare, interrogare, etc., non tenetur.

4° Specialia dilectionis signa per se loquendo inimicis praestare non tenemur ex praecepto, sed tantum ex consilio, v. g., eos aegrotos visitare, maestos consolari; hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, eis indigentibus succurrere, pecunias commodare, etc. Ita *Busenbaum, Ferraris, S. Ligorius* et communiter alii.

Diximus *per se loquendo*, quia, ob varias circumstan-

tias, specialia dilectionis signa inimicis exhibere debemus, v. g., 1° ad vitandum scandalum, si nempe negatio hujusmodi signorum habenda sit ut odii effectus, inimicitiam concitatura sit, etc.; 2° si ratio existat sperandi fore ut exhibitio alicujus specialis signi charitatis animum inimici sibi vel Deo reconciliatura sit; 3° si inimicus in extrema vel gravi necessitate constitutus speciali charitatis officio indigeat, tunc adest obligatio gravitati necessitatis proportionata ei succurrendi, juxta quod præcipitur Prov. xxv, 21, et hæc prorsus similia B. Pauli verba, Rom. xii, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum.*

De reconciliatione cum inimicis.

1° Qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur ex charitate remissionem offensæ exterius petere, per se, vel per alium, nisi aliqua ratione legitime excusetur; quia qua ratione charitas fuit destructa, eadem reparari debet. *Ita omnes.* Tenetur insuper, ex justitia, ad convenientem satisfactionem pro injuria et reparationem pro damno illato, nisi offensus et læsus remittat.

Diximus nisi aliqua ratione legitime excusetur; v. g., quia veniam petere non posset sine infamia, dum offensio fuit occulta; quia offensus est absens, nec facile conveniri posset, et alia non suppetit via ei convenienter satisfaciendi; quia offensio non fuit gravis, vel offensus petitionem veniæ non curat; quia inter offensum et offensorem fuit compensatio injuriarum; quia offensor nimis superior est offenso, ut ab isto veniam convenienter petat: tenetur tamen aliis viis animum læsi sibi reconciliare, puta, aliquo beneficio aut benevolentiae signo. *Sic passim doctores.*

2° Si ex utraque parte exstiterint injuriæ, vel fuerunt moraliter æquales et simultaneæ, vel non: si prius, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc. Unde, ait *Ferraris*, v° *Virtus*, n. 2, « generaliter loquendo, inter æquales, is debet prius salutare et alloqui qui

» coram alio stante vel sedente transit, vel de novo accedit. » Si posterius, qui prior offendit, vel causam rixæ dedit, vel gravius offendit, priora reconciliationis signa exhibere debet. *Ita communiter doctores.*

3° Omnis offensus vel læsus debet semper interius ignorare: tenetur insuper exterius offensam vel injuriam remittere offensori veniam convenienter petenti; hoc expresse præcepit Christus, dicens, Luc. xvii, 3 : *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi; et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* Idem docet in pluribus aliis locis. Imo qui inimicus est alterius, nulla opera Deo grata et meritoria facere potest, nisi prius, quantum in se est, reconciliatus fuerit, veniam petendo, si læserit, vel ex toto corde dimittendo, si læsus fuerit; nam Christus dicit, Matth. v, 23 : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.* Quod autem dicitur de munere ante altare, intelligendum est de quolibet bono opere Deo offerendo; ratio enim est eadem.

4° Qui tamen in fama, in bonis vel alio modo aliquam passus est injustitiam, justam ejus compensationem vel restitutionem exigere potest; quia, licet injuriam condonare teneatur ex charitate, jus habet petendi et exigendi quod ex justitia sibi debetur. *Ita communiter doctores.*

5° Advertendum reconciliationem non esse perfectam nisi offensus et offensor eodem modo se habeant exterius ac antea, videlicet se salutando, visitando, invitando, etc., excepto casu supra memorato, in quo justa ratio exigit ut offensus familiaritatem cum offensore saltem pro tempore fugiat.

Quot igitur Christiani gravissimum hoc legis Evangelicæ præceptum ignorant, deturpant, postponunt, seipsos turpiter decipientes! nihil enim difficilius est in praxi, ut experientia constat, quam perfectam inimicorum obtinere reconciliationem.

Punctum tertium. — *De ordine in charitate servando.*

Apud omnes constat aliquem servandum esse ordinem in charitate, quia omnia objecta non sunt æqualiter amabilia. Unde *S. Aug.*, de Doctrina christiana, l. 4, c. 28 : « Ille juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator » est : ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, » ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius est diligendum, aut minus vel amplius » quod æque diligendum est. »

Unusquisque hunc ordinem servare debet : 1^o diligere Deum super omnia ; 2^o seipsum secundum spiritualia ; 3^o proximum secundum spiritualia ; 4^o seipsum secundum corporalia ; 5^o proximum secundum corporalia ; 6^o seipsum secundum temporalia externa ; 7^o proximum secundum temporalia externa ; 8^o inter personas quibus subveniendum est, habenda est ratio necessitatis et conjunctionis.

1^o Deum super omnia etiam plus quam seipsum diligere debet ; ratio patet ex dictis, quia scilicet Deus est supremum bonum et origo totius bonitatis. Item creaturas Deo magis gratas, ut beatissimam Mariam, Angelos et sanctos plus quam seipsum objective cum majori complacentia in illis diligere debet, quia istæ creaturæ sunt perfectiores ; sed non plus *appretiative*.

2^o Post Deum seipsum præ cæteris *appretiative* diligere debet, secundum spiritualia : nam, in præcepto charitatis, amor sui traditur ut mensura dilectionis proximi : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* : porro, ut ait *Scotus*, et post ipsum omnes theologi, mensura perfectior est mensurato. Unde natum est vulgare axioma : *Charitas bene ordinata incipit a semetipso*. Ergo. Hinc si B. Paulus, Rom. ix, 3, optaverit *anathema esse a Christo pro fratribus*, id certe non intelligendum est de æterna reprobatione, sed de temporali morte et exterminatione, ut *S. Hieron.* interpretatur quo sensu Moyses præ dolore

dicebat Deo : *Aut dimitte eis hanc noxam ; aut si non facis, dele me de libro tuo*, Exod. xxxii, 31 et 32, id est, de numero viventium ; eodem sensu Christus dicitur *factus pro nobis maledictum*, Galat. iii, 13 ; vel, de hypothese impossibili, quasi dixisset : Si liceret, optarem anathema esse a Christo pro fratrum meorum salute, ut *S. Chrysost.* et plures alii intelligunt.

Hinc si bonum nostrum necessarium, v. g., fuga peccati, concurrat cum bono spirituali vel temporali alieno, sive privato, sive publico, nedum teneamur proximo subvenire in qualicumque necessitate, ad abstinendum, ex modo dictis, obligamur. Si, e contra, agatur de bono nostro non necessario ; v. g., quod per observationem alicujus consilii obtineri potest, tunc quoties necessitas proximi opem nostram exigit, eam præstare debemus, quia lex *præcipiens* auxiliari proximo necessitatem patienti præponderat legi *consulenti*.

Inde sequitur illicitum esse manifesto peccandi periculo se exponere pro aliorum salute : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* Matth. xvi, 26. Licet vero probabili, vel etiam, secundum multos, probabiliori peccandi periculo se exponere ob salutem proximi, v. g. ad baptizandum puerum, ad absolvendum moribundum in peccato mortali constitutum, quia gravis causa tale periculum excusat a peccato. *A fortiori* bona spiritualia non necessaria negligere licet ob aliorum necessitatem vel gravem utilitatem spirituales, vel etiam temporales, v. g., ab ingressu religionis abstinere ad subveniendum parentibus, filiis, benefactoribus, etc.

3^o Bona spiritualia proximi plus diligere debet quam sua corporalia, id est, plus animam fratris sui quam proprium corpus ; proximum enim diligere debemus sicut Christus dilexit nos, Joan. xv, 12 : at Christus seipsum pro nobis tradidit, et, ut ait B. Joan, I Epist. iii, 16 : *Ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere* : in conflictu duarum obligationum

quæ simul impleri non possunt, ea præferenda est cujus objectum est præstantius, et necessitas saltem æqualis.

Quod ut melius intelligatur, triplex distinguenda est proximi necessitas spiritualis, scilicet extrema, gravis et communis. Homini in extrema vel moraliter insuperabili necessitate spirituali versanti succurrendum est cum evidenti periculo vitæ, dummodo æque certa sit spes eum juvandi: v. g., qui videt infantem non baptizatum flammis comburendum, vel fluctibus immergendum, in flammis vel in fluctus se præcipitare debet, cum certa prævisione se moriturum, si moraliter sit certus se eum baptizaturum: secus, si periculum proprium sit certum et spes adjuvandi incerta. Idem facere deberet sacerdos pro peccatore christiano in somno vel aliter non cogitante morituro, ut eum præpararet et absolveret.

Proximo in gravi necessitate spirituali constituto possumus quidem cum periculo vitæ succurrere, juxta *S. Thomam* et alios communiter; at non tenemur, ut apprehendunt omnes. Unde sacerdos non tenetur vitam graviter exponere pro peccatore qui ope contritionis perfectæ se Deo reconciliare posset, si vellet. Excipitur tamen 1° si quis teneatur ex officio, ut pastor qui ovibus sibi commissis etiam cum gravi periculo vitæ in tali necessitate subvenire debet; 2° si necessitas sit publica, ut elades, pestis, prælium, etc., quia inter eos qui periclitantur, plures ratione ignorantæ, præjudiciorum, doloris, in extremo damnationis periculo constituentur. At dispendium aliquod bonorum temporalium, famæ, honoris, subire debemus propter gravem necessitatem spiritualem proximi.

Demum in necessitate communi non tenemur succurrere proximo, nisi cum levi detrimento; cum majori tamen, si ex officio cura ejus nobis incumbat.

4° Unusquisque propriam vitam vitæ alterius, cæteris paribus, præferre potest, ut omnes fatentur, juxta axioma: *Charitas bene ordinata a semetipso incipit*; imo multi contendunt non licere in eo casu propriam vitam exponere periculo pro servanda vita alterius, quia tunc cha-

ritas non esset bene ordinata, ut ait *S. Aug.*, lib. de Mendacio, cap. 6: « Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum » sicuti seipsum, sed plus quam seipsum; quod sanæ » doctrinæ regulam excedit. » Alii tamen multi probabiliter docent licitum et laudabile esse vitam pro servanda vita amici exponere, quia honestas virtutis vita temporali præstat: sic non solum excusantur, sed laudantur qui peste infectis serviunt, cum prævisione moraliter certa se non evasuros; qui cum periculo vitæ se in aquas injiciunt, ut alios eripiant, etc. « Cavendum tamen est, » inquit *Dens*, t. v, « ne quis sibi ipsi mortem potius inferat » quam ei se exponat, quod moraliter dijudicandum est. »

Certum est autem licitum et quandoque necessarium esse propriam vitam periculo exponere pro servanda vita personæ bono publico utilissimæ, quia membrum pro salute corporis perire convenit; pariter licitum et meritorium est propriam exponere vitam pro servanda vita alterius qui in statu peccati mortalis certo moreretur, v. g., malle occidi quam injustum aggressorem occidere, nisi tamen vita aggressi pluribus sit necessaria aut valde utilis. Nam, ut ait *Christus*, Joan. xv, 13: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

5° Non est dubium quin bona temporalia exponere et amittere debeamus pro alterius vita, quia sunt ordinis inferioris: sed bona nostra temporalia bonis aliorum præferre possumus, juxta ea quæ diximus in Tractatu *de Contractibus*; et ratio patet.

6° Quamvis omnes homines æque diligendi sint quoad objectum et finem principale charitatis, scilicet quatenus sunt homines, et quoad beatitudinem æternam quam omnibus velle debemus, certum est tamen alios magis quam alios diligendos esse intensitate et affectu amoris; cum enim amor Dei sit principium et amor nostri regula amoris proximi, sequitur nos magis amare teneri eos qui Deo et nobis sunt conjunctiores: porro non omnes æqualiter Deo et nobis sunt conjuncti: ergo. Unde 1° sanctio-

res majori complacentia amare debemus quam peccatores aut minus sanctos; 2° nobis consanguinitate, affinitate aliave ratione propinquiores aliis, cæteris paribus, præferre debemus, quod sic agnoscit B. Paulus, I Tim. v, 8 : *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior*; et S. Aug., de Doctrina Christiana, l. 1, cap. 28 : « Cum omnibus » prodesse non possis, his potissimum consulendum est » qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum » opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte » junguntur. »

Ordo autem inter conjunctos a S. Th. et ab aliis theologis assignatus, est sequens : pater, mater, uxor, filii, fratres, etc. Hæc tamen intelligenda sunt 1° de extrema necessitate; nam in gravi necessitate conjux præferre debet conjugem qui secum est eadem caro, deinde filios qui sunt velut pars sui, propriis parentibus : *Homo enim relinquet patrem et matrem et adhærebit uxori suæ*, Genes. ii, 24. 2° De æquali necessitate sub omni respectu; qui enim in majori versatur necessitate, adjuvandus est ante propinquiorem in minori periculo existentem : v. g., prius succurrendum est ex traneo æternaliter pereunti, quam patri pro salute corporis periclitanti. 3° De consueta agendi regula; ex particularibus namque circumstantiis præcedens ordo sæpe variari potest : sic mater optima plus diligenda est quam pater depravatus, pastor magis obstringitur ad instruendos parochianos sibi commissos quam consanguineos sub alio pastore constitutos, sacerdos magis episcopo quam parentibus obedire debet; item miles magis duci quam patri, etc.

Notat *Dens*, t. ii, inversionem ordinis charitatis, inter nos et proximos, raro esse peccatum mortale, excepto casu extremæ necessitatis.

Certum est insuper multos non credere se teneri ad maxima incommoda aut sacrificia, v. g., ad obeundam mortem pro salute alterius, ad amittenda omnia bona sua pro ejus vita servanda, et in praxi ad hanc persuasionem spectandum est.

Punctum quartum. — *De eleemosyna.*

Eleemosyna est vox Græca idem significans ac latine misericordia, seu miserans cor super alterius miseria, et definiri potest : Opus misericordiæ quo aliquid datur indigenti ex compassione propter Deum; sicque differt a quovis beneficio indigenti præstito, sine ordinatione ad Deum; tale beneficium non est eleemosyna, nisi mere naturalis, de qua non loquimur.

Duplicis generis distinguitur eleemosyna, spiritualis scilicet et corporalis : spiritualis est illa qua subvenitur animæ in ordine ad salutem æternam; et corporalis, qua miseriæ hujus vitæ sublevantur propter Deum.

Septem numerantur actus eleemosynæ spiritualis, scilicet ignorantem erudire, dubitanti consilium dare, delinquentem corrigere, mœstum consolari, offendentem condonare, defectus alterius patienter ferre, pro eo orare; qui actus sequenti versu exprimuntur :

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.]

Septem sunt etiam actus eleemosynæ corporalis, videlicet infirmos et in carcere detentos visitare, esurientes cibare, potum sitientibus dare, captivos redimere, nudos vestire, peregrinos hospitio recipere, et mortuos sepelire; hoc versiculo continentur :

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

De eleemosyna spirituali sufficienter dicemus agendo de correctione fraterna. Nunc igitur nobis tractandum est de eleemosyna corporali, quæ sola proprie nomen eleemosynæ retinet; et dicemus 1° de ejus præcepto, 2° de ejus regulis, 3° de ejus conditionibus, et 4° de ejus effectibus.

De præcepto eleemosynæ.

Strictum existere præceptum dandi eleemosynam constat ex innumeris Scripturæ sacræ et Patrum testimoniis v. g., 1° ex Eccli. iv, 1 : *Eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere*; Tob. iv,

7 : *Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere...* et *ŷ. 9 : Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude ; Matth. xxv, 41 : Discedit a me, maledicti, in ignem æternum... : esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitiivi, etc. ; Jacob. ii, 13 : Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam ; I Joan. iii, 17 : Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et cluserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo ? Numquid præceptum sub gravi clarius exprimi potuisset ? 2º *S. Ambros.*, de Officiis, l. 1, cap. 30 : « Grandis culpa est, si, sciente te, fidelis egeat ; si scias » eum... fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat. » Infiniti essemus, si cuncta Patrum testimonia propositionem nostram confirmantia referre vellemus. 3º Ratio autem his testimoniis optime congruit ; omnes enim ratione naturæ, originis et finis fratres sumus : nonne inde sequitur eos qui aliquid possident, indigentibus juxta rectum rationis dictamen succurrere teneri ? Ergo existit præceptum naturale et divinum, obligans ex genere suo sub peccato mortali, dandi eleemosynam.*

De regulis in danda eleemosyna sequendis.

Notandum 1º triplicem distingui necessitatem in qua proximus versari potest, scilicet extremam, gravem et communem. Necessitas extrema est status personæ adeo indigentis ut periculum amittendæ vitæ incurrat, nisi ei subveniatur ; necessitas gravis est status personæ ita ægre viventis ut incurrat periculum in gravem morbum, amissionem membri, carcerem, amentiam, infamiam, etc., incidendi, nisi auxilium ei præbeatur ; necessitas communis est status personæ quæ non nisi difficulter vivit, ut pauperes ostiatim mendicantes.

Notandum 2º bona triplicis esse posse generis, videlicet necessaria vitæ, necessaria statui et superflua : ea

dicuntur necessaria vitæ, sine quibus propria vel alterius vita conservari non potest. Illa necessaria sunt statui, sine quibus homo a sua conditione decidere teneretur ; dicuntur vero necessaria decentiæ status tantum ea sine quibus nonnullas sibi imponere debet privationes quas alii ejusdem conditionis et in negotiis suis felices sibi imponere non solent. Necessitas sicut et decentia status a multis adjunctis pendent et ex judicio viri prudentis æstimandæ sunt, habita ratione non solum temporis præsentis, sed et futuri ac probabiliter contingentium, v. g., morbi, senectutis, belli imminentis, impensarum pro educandis filiis, dotandis filiabus faciendarum. Bona superflua illa sunt quæ nec ad vitæ conservationem, nec ad proprii status decentiam necessaria judicantur.

His notatis, sint regulæ sequentes :

1ª *Regula.* Pauperibus in extrema necessitate positis subveniendum est ex bonis vitæ superfluis, etsi aliquo modo ad statum sint necessaria ; ordo enim charitatis exigit ut maximum proximi bonum bono nostro longe inferiori anteponamus. Nemo tamen tenetur a proprio statu excidere, nec magnam pecuniæ summam dare pauperi ad illum a periculo mortis redimendum vel ad procuranda ei remedia vitæ conservandæ necessaria, ut docet *S. Ligorius* cum pluribus aliis, l. 2, n. 31. Aliud tamen videtur dicendum si necessitas sit extrema vel etiam gravis, sed publica, ut pestis, bellum, etc.

2ª *Regula.* « Probabile est, » inquit *Busenbaum* cum pluribus aliis quos citat et approbat *S. Ligorius*, « quod » proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire cum modico detrimento proprii status ; » quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. » Juxta *Ferraris*, vº *Eleemosyna*, n. 16, qui dicit hanc sententiam esse communem, proximo talem necessitatem patienti unusquisque subvenire tenetur sub mortali, non solum ex bonis vitæ et statui superfluis, sed etiam ex iis quæ aliquo modo necessaria sunt ad decentiam et splendorem proprii sta-